CLEMENTI NONO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

Vaticinatum, Seculare, Genethliacum

C A R M E N

AB HORATIO QVARANTA

S C R I P T V M

A C I P S O N A T A L I D I E

E D I T V M





R O M AE

Ex Bisdecana de Feis Typographia Iacobi Andreæ Filij. M. DC. LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Pat. Magist. Sac. Pal. Apost.

M. Episc. Ariminen. Vicesger.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Magist.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. IACOBO ROSPIGLIOSIO



HORATIVS QVARANTA V. A. F.



VÆ hactenus de Romanis Pontificibus Poeticos, ni Propheticos, inter afflatus ex Sybillæ adytis, atque Apollinis tripode vel recta, vel orbiculari linea præcesserant Vaticinia, adeo vel cęcutire, vel claudicare visa sunt, vt vel *rapidis volitarent ludibria ventis*, vel quasi fortuita in scopum spicula collimarent. Sed quia extincto, iam Alexandro, cui *Custos Montium* ex ipso Stemmatis suffragio obrigerat, sequens *Sidus Olorum* apposito quasi Asterisco, seu condito Asterismo proximum Pontificem indicabat;, obitus non Præcentor sui alieni sed ortus; diù hæsitatum est, quem nam iste prædiceret, quem præcurreret, cum in Candidati nullius, vel Cœlo, vel Clypeo, vel pro Signifero, præiret, vel pro Sidere præluceret. Multa in Eminentissimo Patruo IVLIO, de quo Venusinus Olor præsago carmine iam cecinerat, *micat inter omnes* IVLIVM *Sidus*, nostris Auspicibus congrua, multa nostris Vatibus consona occurrebant. Sed quia nullum etiam in Stemmate, vnde Tyrones, ac rudi donandi primo intuitu huiusmodi mysteria indagant, nec Sideris vestigium, nec Oloris odor extabat; intercessit tandem inter Thebanus Oedipus, qui ænigma introspiceret, solueretque; visus nempe in *Vaticano Fornice pictus Cycnus* nostro imminens Capiti, & quasi è cœlo in Arcam Columbæ æmulus rediens. Actum est; nil plus vltra cum Columbo huius Alitis, ac Sideris ad aspectum explorandum: Nauarchum geminis destinatum Orbibus iam tenemus: hilari celeusmate inclamandum, En Ales cantu, plumaque candidus: en Columba Argonautis in mari, seu Deucalioni in Parnassi culmine præuiat en secundus properantis Prodromus Solis: en ex Claudiani præsagio, *noua Ladæis Soboles fulgentior Astris*; *quid protulit æquum falsus Olor*? ille est, sed verus, ille est; nec tam felici omine ad Vulturum volatum, quam ad huius auspicium Cycni nouus iam Romæ adiudicatus, atque inauguratus est Romulus. Ita est; Comitialis ex Vrnæ nido, fouente, atque obstetricante iam Cycno, fœtum mari, Cœloque propitium, paucos intra dies, (quot pene Alcyon excludit suos) ad Orbis tranquillitatem IVLIVS, & ideo CLEMENS, emersit. Sat est, bene est; en Vaticinium illud Saturnus, qui omnia deuorat, tandem Iouis sub Sidere peperit: en Vaticanæ *Vocis imago*, à Vagitibus olim dicta festiuissima Echo non minus Romæ votis, quam geminatis tot

Olorum cantibus apprimè, concinneque respondit: en illa ipsa *Testudo*, tardo licet gradu, è cœlo pene lapsa, ac volucrem ferens Nuntium, illud Augusti in IVLIO dictum attulit opportunè. *Nunquam serò si bene*. Hactenus fidei simul, ac spei factum satis; & *Cycnus* supra Caput adstitit albus; & *Olorum Sidus*, vt plures in portum regat, in puppi, nec dum pro Helice, ac Cynosura, gemino pro Castore fulget, ac sedet. Quid ni, si & horum nonnisi Cycnus vel in fabulis Genitor fuit; & ipsa Pauli in Naui, dum Melitense post naufragium Romam peteret(& quidem à Iulio Centurione humanissime habitus) *Castorum Insignia* præluxere? Pro Talpæ ad Astrum Mortales! pro Pyraustæ ad Alitem Vates! Non igitur ad inuestigandum illud, ad aucupandum istum enauigandum vlterius? itane humili remigio litus legitis, & ad prædam in altum vela non soluitis? nec è solo ad polum, vbi vester Ales, ac Sidus est, oculos, atque alas attollitis? nullus ne inter Sidonios Seruus, an liber, qui nedum Solis in Occasu, Sideris in Oriente ortum inspiciat? vnoque omnes affixi Fornicis cœlo ex Ennij iudicio *Cœli palatum non sapitis*? quodque Cycno Aquila hostis est; vos tanto a Parente degeneres, ita ab illius lumine aciem declinatis, vt nemo sit *Exploratores oculis, qui perferat ignes*? Sic ego & mecum mordere, & alijs oblatrare, cum Archimedi nonimpar, subito correptus œstro, abreptus Astro Heliconio è balneo exsilire cepi exclamare non destiti, *Inueni, Inueni*, non quidem in vnguento ductis mathematicis, sed in aere, Gruis instar, Genethliacis lineis, Astronomus simul, & Horoscopus, Haruspex, & Auspex, nullo radio, nullo tubo, solo sed oculo iudice, digito indice. Quid nam illud est, quod *Cælestis Cycni in pectore* radiat? Nonne eximium, nonne superum, nonne *Nuperum Sidus*? Ita est, non illud Lynces videre Veteres, non Momi intercepere Senes, non Argus nouit Antiquitas: vt pote plumeo tenellum in nidulo; puellum renascente cum *Sexcentesimo* editum; eidem agnatum, & congener Anno; nostroque *Gemellum*, ac pene Castorem *Seculo*: hujus inter incunabula exceptum: huius inter vitales auras euagiens: suum huius inter lacrymas lac exsugens: nec Hercule minus renouati Anguis exuuias ipsas arripiens inter fascias. At quando nam? Pro portentum, pro monstrum, pro Iridem in erecto Orbis supercilio Miraculi genitricem, an filiam? *Illo eodem Anno*, hi mense, ni die; quo IVLIVS *tuus*, quo CLEMENS noster ad lucem, quam pareret, quam aleret, prodijt immortalis. O diem tribus fœcundam Gratijs, educandam Parcis, timendam Furijs: ò Trinum nullo soluendum Saturno: O Geryonem nullo domandum Hercule. Si firmum est, quod Veritas asserit, *Funiculus Triplex difficilè rumpitur*; nascitur *Seculum*, *Sidus*, IVLIVS. vno sub Cycno partus Tergeminus, vna sub genitura Tutelaris Oloribus Genius, vnoque sub Sidere nouus ad Imperium IVLIVS. Hoc tamen Augusto maior, quod ille natale Capri Sidus argenteo suspendit in Nummo;

hic

hic suum, sed aureum, Cycni affixit in pectore: Magni ille Alexandri imagine sua obsignauit edicta; hic à Maximo cum *Arcana* accepit, maioris Annulum præsumpsit Imperij: Ianum ille clausit, Seculum condidit Horatij carmine decantandum; hic vt illum clauderet, hoc reconderet, vtrumque canoro Alite, aureo Sidere obserauit: cum ille ciuiles post turbines Romam subiret, cælestis Arcus quasi in bellicum spolium visus est, ac Pacis cedere in trophœum; hic cum *Vaticano in Templo*, Triplex Diadema susciperet, *Iris alia* visa est vel pluribus coloribus Cæleste contexere; vel CLEMENTIS Nomen pacifica Fascia redimire; vel arcuato, pictoque iterum Fornice, Columbæ quasi monilibus, Solem suo in Oriente, non aduersum, sed propitium adorare. En tandem illa inter Vaticinia præsaga vox, *Sidus Olorum:* en ille in aurato laqueari *Cycnus* irretitus, & captus: en Sidus vno in Cycno omnibus ad regimen, ad patrocinium, ad vmbram deuinctum: en vel tunc Cycnis, quos semper cordi habuit, in pectore aperto vbere, infuso lacte CLEMENS parens, ac nutrix. Quid quod (ò rem vltra fidem miram, sed veram) ea Die, ea Hora, eo Momento, quo Vaticana ab Vrna in IVLIVM tuum, non Ionæ naufragantis, sed Petri adnatantis Sors versabatur, ac cecidit, ille idem, ille Cycnus benignissimo aspectu, toto pectore, toto lumine visus est incubuisse: & perinde ac Alumnum, Sidusque suum in lucem conaretur excludere, pennas vt scriberent, voces vt adscriberent præbuisse? Ita Astronomorum peritissimi, vel è Gallijs, pene nescientes quid dicerent, post enunciatum Pontificem edixere; planè quasi Olorum Sidus, ac Solem Gallus etiam suis vocibus salutaret; Petrique Successorem è Conclaui cum Clauibus exeuntem, & in vestibulo positum, non ad fletum, sed ad lætitiam prouocaret. Iactent nunc Pythagorica silentia, somnia, an deliria Apollonij sui in puerperio dormientem florido in prato Genitricem excitatam simul, & enixam Cycnorum volitantium ad voces, ac plausus; quando Zephyrorum etiam ablandientium inter suspiria Mago potius illi notis suis lucifugæ ingemerent Striges, & non nisi Noctuæ ementito cantus illuderent lenicinio. At quis nostrum Cycnis suis faustissimo omine, candidissima Alite natum neget Apollinem, cuius in ortu ille idem Cycnus cum Claudiano accinuit *Tibi Sidus parturit Aether;* tantane Lucinæ in lætitia luciferum Chronicum, an Choraulem? an desponsæ iam Puero Æternitatis sua cũ face pronubum Hymenæũ? an in ipso vitæ carcere Cursori quasi iam emerito lampadem inextinctam? Ast vbi nam? repeto, *Cycni in Pectore* nec exiguum, nec mortale, Miraculum, nempe, ne dum Africana, cælestia inter Monstra in pectore ipso monoculum; Cyclopem eo in specu, sinuque, in quo sceptra, ac fulmina cuderet, in somnem, ac vigilem; Amuletum in Fortunæ, in Inuidiæ, in Mortis oculos saluberrimum omnibus, ac semper obnoxium: Musis, ac Poetis suis

Equestris, vtpote aligero in Pegaso equitantibus, Nobilitatis Insigne; & Oloribus tanto militantibus Principi cælesti Imagine obsignatum, suspensum.que Numisma. Quidni Cœli potius *Candidus Calculus* suo Clauigero succedentis, & vel diuino Oraculo I V L I O suo illis notis tributum, nullo sed discrimine, adiudicantis. *Ostendite Numisma Census*. Quid inde? *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Dicerem & Numinis, cuius erat futurus Præses vtrobique Vicarius, Sidus non solum Castoreum, sed pene Parelion; sed Regum Solis ad Cunas, ac Sepulcrum ductorem amphibium, nec ambiguum; sed renascentis inter Mortales Salutis, ac Vitæ in ipso Seculi exortu Phosphorum, ni præuium, comitem; non sub Augusto, sed I V L I O recensitum inter Sidera partum: subditorum Cycnæa pluma descriptum in albo Filium: & non nisi in impios Tyrannos, noxiosque Carnifices pro Gladio, & Comete Phœnomenon. Neque enim Phœbi stipendiarius Ales semper imbellis, & inito quandoque ipsis cum Aquilis prælio, sine victoria; nisi quod perfidos in Gigantes pro Cælo ipsis cum Aquilis pugnaturus suo iam fulgure se muniret: Alcidē Monstrorum domitorem vel in cunis clariore, nec infirmiore spolio exornaret; & Alexandri Successorem, non Ephesinæ Dianæ inter incendia, noua sed Empyrei face ad Orbis auguraretur Imperium. Veneris tunc solum, sed Vraniæ, sed castissimæ subiugalis, ac Vector, cū INFANTEM aliquando Hispanam, ac Regiam, quasi nouo Iordanis Flumine, & Columbæ sequax, lustrali mergeret Fonte; desponderetque vel tunc Iulius Augustissimis Aquilis Sponsam, ac Matrem; à qua modò Germanicus Cęsar Filium, Romanus PONTIFEX NEPOTEM, diuisa inter Regnorum sceptra susciperent; & Clemens, Faustusque Pastor ad Tyberis ripas, quasi vtriusque Vrsæ ab vbere appulsum nouum Romulum Romano educaret Imperio. Ni mauis has quasi Caystri ad ripas Portentum Venusino hac ipsa voce Impossibile emersisse; cum tanto sub Parente non *imbelles feroces progenerant Aquilas Olores*. Apparuerat paulo ante Anno videlicet M. D. LXXII. Sidus aliud in *Cassiopeiæ* corpore haud minus egregium, haud minus illustre; suæ quasi Amazonis in fœmore pro Gladio, suæ Palladis ad brachium pro ægide, & ab humero pendens aureus Arcus, an pharetra? Sed quid inde? si paulo post, *Biennio* vix inito, ne dum elapso, extinctum est penitus: ipsa in Aurora euanuit pene ephimerum: lateri vix accubans euasit in somnium: tumulum in cunis habuit vix exortum: & quasi illud Andromedes cum Genitrice proximus Cetus absorbuisset, nec suum potuit vitare naufragium; nec catenam, qua detineretur, obtinuit; quin vltra omnem Astrologorum fidem Fax, quæ sub Cassiopeiæ Sidere Amores firmos, atque ardentes edocuit, didicit nouum Ignem suum, non solum in fumum, sed in cinerem effluxisse. Sed pro mirum! Sidus, quod Regia in Muliere stare non potuit, constante

in

in *Aliti* potuit; eadem Vitæ per vestigia, nisi manis Solis per Signa, indiuiduus Comes nusquam exorbitans stetit, iuitque: eosdem quos IVLIVS Annos, ni potius Dies, librato gradu, suspenso pede pares enumerat: idem in ortu Apparitor, meridie Accensus, in occasu Stator Ducis sui signa respicit, statione non fugit, excubias peragit: Apollinis sui Heliotropicus, an Horologicus Flos, & Orbis ita se vertit, ac variat, vt pectori radicitus hærens lumen suum vt oculus deserere nesciat, lineam sequi vt vmbra non desinat: quod vel Sapiens, nedum suspiceret, desperaret, edocet nos *Viam Volucris in Cælo* hactenus permanentē, hactenus permeantem: nulla adhibita Vestali Virgine, nisi Cælesti; Ignem dum nutrit æternum, efficit quod de illo Florus asserit. *Vt ad similitudinem cælestium Siderum Custos Imperij flamma vigilaret:* neque Icari casum metuens suo accinit; *Iule, ceratis ope Dædalea nititur pennis*; sed ita pectori insitum habet lumen, vt ingenitum gutturi melos; nec Eunomi chordam à Cicada suffectam inuidet, sed deridet; quando illa ipse iucundior, firmiorque; vt Phœbo concordet suo, ibidem plectrum ferat, & Sidus. Hoc igitur ego quoque incensus, ne disrumperer, æstu, effudi haud minus è pectore Musicos sonos; & quidem Elegiacos; quod postquam nouo sub Sidere, ac Seculari carmine Cycnus Genethliacus esse cepit, hi quoque esse funebres desiere: nec incomptis præ mœrore crinibus, sed præ gaudio versibus; habet enim tam confusas etiam lætitia lacrymas, vt Risum meo è *Quadragesimo* festiuo non minus, quam festino sub Die potuerim elicere: neque ipse Aliti discolor nostro, vtpote qui canere quoque possim *Iam mea Cycnæas imitantur tempora plumas:* & Palæstino Seni non discors excepto iam inter vlnas, quasi alas, nouo vel Sole, vel Sidere, *& ad Gentium reuelationem Lumine dimitti* cupiam, & laxato militiæ balteo solui; cum iam vniuersum Orbem vnus *replet Spiritus:* & accepto à Cycno non tam mortis, quam vitæ præsagio *scientiam habet vocis*. Sed tot inter concentus, ac plausus vnus Tu Cycno, atque Oloribus tuis Sidus deeras, Belgici Leonis in Signo, seu Pectore Regium quidem, ac Maximum; ni Mercurium mauis *Internuncium* geminos inter, non Angues, sed Alites interposito caducæo Concordiam excantantem. Et quidem fas erat, vt qui *Matritensem* olim *Vrsam Septem* redimitam *Stellis* adhuc Adolescens fixo pede rapueras, *Parisiensem* etiam *Nauim* in ipso itineris cursu pro Sirene, ni Remora, sisteres: & vtrique, qui præcoce canitie Cycnum præfers, pro Castore fores, non minus ac *Fratribus* pro Polluce: accideretque iterum Romæ sub IVLIO quod de Cæsare dictum, illum Castoris non solum vices occupasse, sed nomen. Sed quoniam de te potius prædixerat Lyricus, *Proximos illi tamen occupauit Pallas honores*; redde te Capiti tuo, cuius è Sapientia ad regendum Orbem, (Pomum tuo dignum iudicio) tuam hausisti: redde te Cycno tuo, cuius compertum in pectore facies, posse etiam nouo Soli nouum Sidus adnasci:

 red-

redde demum Romæ tuæ te addito geminum Titum, cui nulla nec dolenda sine beneficio, nec pœnitenda cum crimine dies; & ô vtinam Hierosolymitano triumpho cum Patre deuotum. Neque enim nouum erit, dum tu Vaticanas victorias, ac laureas comparas, CAMILLVM ad Capitolij subsidium, præsidiumque subniti; cui si sub Alexandro Tertio Vaticinium obuenerat illud *Ex Ansere Custode*: haud minus ad excubias, & custodiam nostrum arriserit *Sidus Olorum*, vtpote Clementiæ symbolum, Pacis tessera, & Amoris effigies. Huic Roma, sicut olim Castori, ac Polluci aras, ac templa, arcus, ac trophœa constituet: & quia illi longinquas etiam victorias Romam vel cursu præpete, subito vel Sidere attulere; discent Olores, qui tanto sub Sidere conuiuunt, ac certant, domesticis, affinibusque victorijs non solum vocem immolare, sed animam. Discet *& Patria*, armatæ olim, ac plusquam Thebanę Discordiæ, inermis nunc, & plusquam Amphionis Musices quasi Mater, suo etiam è Ferro Musicam natam; *De Forti rugiente dulcissimum melos egressum*: eodemque è sinu *Tubal malleatorem, fabrumque aris, ac ferri, & Iubal patrem canentium in cythara, & organo* in lucem prodijsse. Quod si Guelphos inter, ac Gibellinos, Albos, Nigrosque Fratres Gemellos illa peperit, sed discordes; diuinitus factum dices, vt Cycnus gemello in terris, cœlisque Sidere Concordiæ parens nigros expungeret dies, albos reponeret. Quod si ex Lyncæo Astrologorum intuitu exploratum est illud, cælesti è Cycno, quasi innoxia è Sirene, non lethæa, sed *læta somnia* infundi; quæ non animis pax, non oculis quies tanto sub Alite depluat, qui vt Argo vigilantior foret, nouo lumine pectus instruxit? & quia *Spes Somnium* dicta est *Vigilantium*; vt nostra vel ipsa *Somnia* sperent; sibi non nisi *Vigilias* destinauit: vtque alij inter *spes, somniaque* ditescerent, *nihil*, quod sibi reliquũ faciat, *in manibus inuenit suis*; totque sibi ad insomnia in pennis aperit lumina, quot nobis in plumis claudit ad somnos. Hos igitur ego quoque Versus male tornatos, nec incudi redditos iure merito tibi sisto; Stellas nimirum tuas ad calcaria vt properes; carmina nostræ interea solatia noctis; ac Cycnum Ostri tui Augurem Candidatum; qui si Sidus, vt Purpuram in pectore seruat, ostendit ibidem etiam Tibi, suo nempe Sideri, Purpuram asseruari: nisi quod hæc quoque moræ impatiens, iamdiu te Honorij cum Olore sollicitat. *Vltro se Purpura supplex obtulit, & solus meruit regnare rogatus*. Ne hanc nimis propero rubore suffunderes, pauca de te offendes: & ne modestiam offenderem tuam, vix hæc obiter, & in fuga. Ne vulnus itidem exasperem nostrum vix obducta cicatrice delendum, nihil de tuo Morbo, in quo velut in Pandoræ Vase tot enatassent mala, tot naufragassent bona; vnoq; in scopulo Amor, ac Spes Mortalium vnum fecere periculum, vnum subiere discrimen. Hausit tunc Pedemontana Susa Romæ septicollis voces, mox Riuulus dulces

inter

inter vndas amaras. Tyberis lacrymas: & Cycnus tuus prope Eridani ripas è cœlo rediens, tuoque accidens toro cùm Claudiano suo de Phœnice canebat. *Parturiente rogo curis Natura laborat*. At procul hæc, cum tu saluti redditus, nostram in reditu reddis. Illud interea animo volue, antequam Vaticana accedas ad Limina, futurus mox inter Cardines, quod Clauius nostri Seculi Archimedes, ac Ptolemæus alter de *Cassiopeia, Cycnique* nostri Sidere ex Maurolyci, Pridianique ore oculatus quoque testis pronunciauit audacter. Stellas illas à Deo Optimo Maximo procreatas, vt magnum aliquid portenderent: Signa hæc insolita, ac nunquàm satis admirata mirabiliora apparuisse Cometis: nunquam post Orbem conditum, cœlatasque in Cœlo Stellas huiusmodi fusa simulacra, atque elaboratas, nisi post tot Seculorum sudores, non in Aetnæ gremio, sed Olympi vertice Imagines; & Latonio pene fœtui compares fulgoribus suis Veneris, Iouis, aliorumque Siderum lumina obscurasse. Quid de Primo euenerit, nouerint Veteres, præteriti non tam Seculi funeræ in occasu, quam Sideris obstetrices in ortu, qui viderint eo etiam Anno *Pio Quinto* Parenti Optimo, Turcicæ Lunæ Eclypsi pene dixerim immortali, Cœlum ea face mox extinguenda, ea mox defuncta præfica parentasse: deiectum vno calculo Vaticanam illam Petram, qua Babylonicus comminutus Colossus maria ipsa suis ruinis oppresserat: post rostratas impijs de Piratis reportatas victorias *Pium*, non Cæsarem, sed Pompeium sublimiore in Capitolio triumphasse; & ne eiusdem Sideris in defectu, non Hostes, sed Amicos, ni catenatos, coronatos tanta desideraret in pompa; paulo post Carolum Nonum, cuius Lilia auro, ferroque munierat; Cosmum Mediceum, cuius aurea auxiliaria Poma Magni titulo munerauerat, ad æternæ Pacis, Salutisque consortium euocasse. Sed vt has ipsas seu glorias, seu iacturas citò reponeret; en vix biduo elapso eadem ab Vrna lacrymarum, ac cinerum *Gregorius* XIII. enatans, ac renascens, qui mox totum Orbem Christianæ Religionis tot domicilijs Coloniam, tot Collegijs redderet Athenæum: qui ipso *Crucis Die* Cyrenæus substitutus fortissimus, an Nauarchus acerrimus, eiusdem *Signa Cruciferi* Nouum in Orbem, ac pene Cœlum longe, lateque circumtulit: qui quasi venerabundos suos etiam ad pedes Nouo illo, ac Regio Sidere *Tres Reges* alliceret; totidem vltimo ab Oriente legatas, an colligatas *Coronas* mutuo osculo ad vestigia adstrinxit, & ora: & quasi eodem Sidere ipse etiam ad dirigendas Solis vias, Temporumque vices sua per Solstitia, atque Aequinoctia duceretur; *Draconis sui in Capite*, abscissa iam *Cauda*, Eclypses abstulit, vt deficerent, Lances restituit, ne excederent. Quid vero de Secundo, nempe de nostro Cycnæo contigerit; omitto *Clementem Octauum* eo Anno regnantem *Clementi tuo* vel tunc in ortu, in cunis, in fascijs Nomen, Diadema, Annulum obligasse; Hæreses in Gallia, Ger-

mania, Poloniaque ad internecionem vsque deletas; Turcicas in Pannonia Lunas modò ferro perculsas, modò auro perterritas; & Persas ipsos Solis, quem Mitram vocabant, olim cultores in eandem Lunam laureatum Clementis fulmen iurato fœdere implorasse. Illud vnum satis, eo *Anno* reseratis Pacis tot Ianuis, obseratis tot Iani claustris, *Iubilæum* tripudianti Orbi ad salutem, vitamque totis manibus aperuisse Mortalibus: cum CLEMENS noster primos vagitus, primas lacrymas funderet, *Agnomini* illum suo melos in aures, mel in os infudisse: ipsum Cycnum (dicam tandem) *Aldobrandinas inter Stellas* nouo fixo pectori Sidere, inmulso gutturi Carmine ad *Seculare*, ad Vitale *Iubilæum* inuitasse; accensoque illas inter Stellas ambitioso certamine ad Claudiani classicum de victoria dimicasse. *Inuitantque nouum Sidus, pendentque vicissim, quas partes velit ille sequi, quibus esse Sodalis dignetur Stellis, & qua regione moueri*. Ni exultantis fuit Cœli donatiuum, an congiarium, dum Cycnos ipsos niuibus dealbatos suis adcelebrandum tam *Festum Annum, ac Diem* aureo, cęlesti, sacroq. *Numismate* insigniret, lustraret, expiaretque; & non nisi *Sancti Anni* inter innoxias, faustasque pompas, ac preces Puero suo, Pietati vel inde deuoto, SANCTISSIMI fascias initiaret, ac fasces; & quasi ludicra, infantiliaque crepundia, pro lunula, ac luscinia *Cycnum, Stellulamque* donaret. Sic etiam reponentibus vices fatis, vt si eo Anno, quo mortuum illud idem *Cassiopeia* Sidus est, *Iubilæus* etiam initus, & quasi è limine salutatus; sequens cum *nouo Seculo*, *nouo Principe*, *nouo Sidere* reuiuisceret; foretque illud *Pij* emortui Hesperus, hoc CLEMENTIS Lucifer orientis; ac semper Clementiæ non minus, quam Pietatis inter funera, ac iubila præcentor, ac præcursor assiduus. Quæ omnia si nos tunc latuere Portenta; saltem hæc modò tetigisse sufficiat, Signum videlicet *Magnum*, *ac Maximum*, quod supremo Capiti Diadema portenderet, *Sole* circumdatum suo, *Luna* dominaturum hostili: *Diuinæ dexteræ Opus Excelsum*, *Vas Admirabile*, quod Vrbem, atque Orbem cælestibus beneficijs inundaret: & Partum mitis Alitis è pectore genitum, qui tempestates, qui Cometes extingueret. Vnum hactenus tuo desiderare posses in Sidere, mea quoque Vaticinia vel in vltimo olim *Hesperiæ occasu*, vel in adulta *Roma Aurora* haud minus Cycnęo afflatu toties edita; sed neque hanc vocem, ac laudem demereri putauero, quæ vestris innixa meritis, obstricta virtutibus oracula potius erant Cœli sua præmia oppignorantis, Astręæ iudicia sua pretia æquis lancibus perpendentis. Solus ego tot nominibus debitor, tot iuribus obæratus auream illam Libram timere debueram, declinare non possem; nisi vestræ foret humanitatis me quoque inter Captiuos non vltimum liberaliter tot vinculis soluere; atque hoc qualecumque bonorum meorum, quæ omnia mecum porto, spolium, seu vadimonium tanto pro onere, ac fœnore accipere.

Imi-

Imitari sic quoque Ciconiam studui, quæ vt Hospiti suo contubernij stipem rependat, ac vices, vnum è Pullis suis in nido, suæ vel æquitatis sequestrum, vel gratiæ obsidem deserit; & capto vel ab æthere Cycno Sidere grauido, Sideribus graui volui hoc vno meam, ni alienam, fidem exsoluere. Sed quia hic idem vester est, vobis vel ab incunabulis mancipatus; reddo vobis, quod vestrum est, tributum, an furtum *Olorum Sideri, & Sideris Olori* iam debitum; atque hoc vno in Alite tanto præmio subharratum, tanto subornatū pretio immortalis, ni sponsorem Vitæ, præconem Famæ. Nemo tamen hæc aliter à me vel prædicta sentiat, vel credita accipiat, quam Poësis Vaticinia suos inter Cycnos, ac Sidera ex tempore diuinantis; non Fidei suas inter Aquilas æternum ad Solem sese explorantis examina. Lusus hi sunt citra Maiestatis, Pietatisque detrimentum, non minus obsequentis, quam exultantis Vraniæ; non Astrææ Veritatis ad trutinam cælestia iudicia reuocantis: Malachiæ fortasse, nec Prophetæ, nec Præsulis, nec verno, nec Hiberno sub Cœlo, non fixa, sed Errantia Sidera: & nonnisi *Pictoribus, atque Poëtis quidlibet audendi* permissa, suas sed intra leges, ac lances, *Aequa Potestas*. Quia Diuina prius Sapientia, cum Orbem conderet, *cum illo lusit*; ac sæpe etiam *ludat in humanis Diuina Potentia rebus*; non abs re humana Solertia putat, si & ipsa magni Opificis æmula terras inter, ac cœlos quandoque ludere videatur. Sic & Vatum Apollo, atque Homero vtroque lumine illustrior Maro suo in Culice, dum *Araneolam* se, non Mineruam, tenui fatetur in opere, non solum bis suò fidenter Octauio, *lusimus*, *ait*, *lusimus*; sed Vespæ, ne dum Culicis, aculeo sic in Cyniphes susurrones, ac Cynicas in Ranas inuehitur. *Quisquis erit culpare iocos, Musamq; paratus, Pondere vel Culicis leuior, famaque feratur*. Quanto hæc eadem ad IVLII, ne dum Augusti, aures iucundiùs canant, in Cycnum, ac Sidus concinniùs cadant, vel Aspis audierit, vel viderit Arimaspus. Sed ne meis tantum vocibus obsurdescas, meo hallucineris obtutu; audi tandem, ac vide clariùs quo cantu Claudianus Olor nostro præluserit, quoue Sidere nostro præluxerit.

Imperij lux illa fuit; præsagus obibat
Cuncta nitor; nam te claris properantibus Astris
Cernere Sol patiens, Cœlum commune remisit.
Apparet quid Signa ferant: ventura Potestas
Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora Candor.
At tua cælestes illustrant omina flammæ,

IN ILLVD

SIDVS OLORVM

In Romanorum Pontificum Ordine

CLEMENTI NONO

DEBITVM VATICINIVM:

Eaque in Actis Apost. Verba

Nauigauimus in Naui Alexandrina,
Cui erat Insigne Castorum.

EPIGRAMMA



Va Paulus Naui Romam modò naufragus ibat,
Insignis Gemino Castore Puppis erat.
Nempe duplex ea Stella fuit, qua Filia Cycni
Dat Furijs grauidum detumuisse mare:
Hos Helenæ Fratres, *hæc* Lucida Sidera
Virgilio Latius Pindarus *ire iubet.* *(in Vrsas*
Sed Petri vt regeres Nauim, Tu Sidus Olorum
Diceris augurijs, Maxime IVLE, *tuis.*
Fatidico *cecinit sic plenus Apolline* Vates,
Sic Vaticano è Vertice pictus Olor.
Et bene Alexandrina *tuo sub Sidere Nauis,*
Quæ sub Alexandri Sidere *Signa tulit.*
Si tamen vnus Olor genuit duo Sidera; *Olores*
Vnum cur potuit Sidus *habere duos?*
An quod tot Cycnis vno tu Sidere Phœbus,
Vnicus in Geminis Solis & instar eris?
Vera canam; Naui ne plurima Sidera desint,
Plurimus haud vno Castore Cycnus erit.
Fert Astraa vices; quia ducis Sidus Olores;
Te non Occiduo Sidere ducet Olor.

IN IDEM

IN IDEM VATICINIVM SIDVS OLORVM NOVVMQVE IN CYCNI PECTORE SIDVS Cum eodem PONTIFICE, Nostroque Seculo exortum.

ELEGIA.



VR mea nec tantos interstrepit Anser Olores
Musa, nec abrumpit muta Cicada sonos?
Cum nec Amyclæus conscisso pectore Cycnus,
Nec sacra Vaticinis cantibus ora silent:
Solus ego haud potero, Coruus licet albus in Aula,
Roma nec IVLO *dicere*, Cæsar Aue?
Nam mea deciduas dum vox procrastinat horas,
Pascit in innumeros guttura longa dies:
Nullus sub vigili Pastore perambulat Vrbem,
Qui calamos faciat conticuisse, Lupus:
Sed Vaticana Vox edita nuper ab Vrna
Collibus ingeminat reddita vota suis.
O quæ laurigero fera fulmina culmine Pindi
Pellitis, & gemino subditis astra iugo,
Pierides; mea pacifico sub Montis asylo
Eripite exilio libera plectra suo.
Hic necet arma quies, hic obmutescere cogat
Tympana, & horrificas fistula rauca tubas.
Tuque, ô Phœbe, tuis qui Monstra minacia telis
Sternis, & extinctas vertis in astra Feras,
Desere venatum, atque oculis tua retia texe,
Ne volucrem capiant lumina capta fugam.

Vnus

Vnus Olor *mihi carmen erit, mihi* Sidus Olorum
Vnum erit, aucupio debita præda tuo.
Quodque genu flectens Elegeia claudicat vno,
Tu mihi Pegaseo flumina solue pede:
Tu mihi securas modò porrige Dædalus alas,
Dum volo Cycnæas Icarus ire vias.
Ferrea cum Secli *primordia duceret* Annus,
Et puer è feretro surgeret ante senex:
Candidus arrisit cœlo, sed flebilis Ales,
Vagijt & Cycni Nupera Stella *sinu.*
An quod prospiceret mortalia vulnera; & Orbis
Funera præsago pectore oleret Olor?
An quod, non Ouo pariturus bella, sed Astro,
Non Helenas, Troias gigneret ille nouas?
Nec Veneris sub amore merens, sed Martis in armis
Palladio grauidum milite ferret Equum?
Cumque nouo cunas Lucina reconderet Æuo,
Edidit ardentem tunc Libitina rogum?
Siccine vos, Lynces, oculos hebetatis in Astro;
Nec vigilat Talpa cæcior Argus adhuc?
Quam procul ista, procul! Noua Sidera parturit Æther,
Fulmina non Stygijs euomit Ætna focis.
Lambere Stella pedes visa est, non tempora pasci,
Stamina non ferro frangere, nere colo,
Non tonsura Fame, non Peste nouacula; cepit
Vngere sed frontem, sed redimire Caput.
Fallimur, ò Vates; quia tunc vt Sidus Olorum
IVLIVS *in lucem prodijt, illud erat.*
Illud erat nascens, mihi credite, Sidus Olorum,
Nectare quos proprio pasceret, illud erat.
Hinc non ore parit, sed gutture concipit Astrum;
Nempe vbi vox animat carmina, dona fouet.

Vbera

Vbera vix sugens Puer *aurum immulsit Alumno,*
Quod lac non aliud dulcius iste bibat.
Quin etiam concors Aquilis, vt fulminet Hostes,
Erudit ore suas, eruit vngue faces.
Ardua ne peterent tot Montibus Astra Gigantes,
Sidere iam Cœlo militat vnus Olor,
An magis, vt puris Oracula funderet extis,
Lædæam niueo diluit igne luem?
Expiet vt veteres cineres nouus Ignis haruspex,
Victima fit Cycnus Sidere viua suo?
An quia debuerat Secreta *reponere cordi,*
Condere & obstructis conscia sensa vijs:
Edidicit voces manus obsignare latentes,
Claudere & arcanas pectoris Arca notas?
Ni meruisse suam contenta Modestia Famam,
In gremio tumulat garrula verba suo:
Et quia centum oculis mendacia colligit illa;
Istius in nitido limine lumen hiat.
Nec tumet, aut timet, aerius velut orbis, abortum
Qui timet è tumido parturijsse sinu;
Sed quia corda suis illuminat intima flammis,
Non Cynici face, non indiget ille vitro.
O bene nata Dies, quam non Lapis exarat albus;
Candida sed stabili Sidere sculpsit Auis.
Fas erit, vt vitam qui Seclo *exorsus, &* Astro,
Astro, non Seclo, terminet ille suam;
Hoc Iulo *dispar, quòd in Astrum desijt ille;*
Exoriens Astro nesciat iste mori;
Hoc quoque Troiano, *quod non in Crine Cometes,*
Stella sed Imperij firmius omen habet:
Non Aquila è cœlo raptos vlciscitur ignes,
Sueta Promethæo pascere corde famem:
 Viscera

Viscera non Tityo fodit insaturabile rostrum,
Dum iecur æterno vulnere Vultur alit:
Sed pius è cœlo Tityus, raptusque Prometheus,
Delicium humanæ Genus, & Orbis Amor,
Alitis innocui dulci præcordia flamma
Recreat, & viuo lumine corda nouat;
Magni supplicium Genij, dum prodigus aufert
Quas sibi, fert alijs prodigiosus opes.
An Cycnis Pelicanus *erit, quibus ipse peremptis*
Saucia non solum pectora luce rigat;
Fata sed vt vincant, melioreque Sidere viuant,
Commodat hoc, ortu corrigit illa suo.
Cristatam Volucrem *Gallinæ Filius albæ*
Quis temere Cycnum dixerit, ille silet.
Ni silet, irridet; quod non sibi plaudit, ouatque
In partu, at læto prouocat ore necem.
Se Matrem negat obstreperam, quod gloria maior
Sit tacito fœtus corde fouere suos.
Castor vt inde nouus, Pollux enatus & alter
Vitæ, sed duplicis, verset vterque fores.
Quid loquar, aut sileam; si Numinis Augur, & Auspex
Vnicus in gemino sustinet Orbe vices?
Si grauidum pectus rediuiuæ Spiritus *auræ*
Afflat, & inde suo Sidere vela regit?
Vt Claues Petrus *accipiat, sonat ante* Columbæ
Filius; *vt subeat limina, cantat* Olor.
Non alijs vitam Petri *fert mobilis Vmbra;*
Fixa sed immoto lumine fata fugat.
Nec procul a sacris Cycnus propellitur Aris;
Sed sacra Pontificis *munia gratus init.*
Initiatus Olor, non Hostia, ab axe Sacerdos
Incipit & Sidus sacrificare suum.

Nam

Nam qui viuit humi, nequit ostia tangere Templi,
Aedituus Cœlis editus esse potest.
Discolor ad Solem Torquata Columba monile
Iactet, & antiqui fœderis Iris opus:
Explicet insomnes oculato syrmate Stellas,
Sitque vigil, cœcus qui fuit Argus, Atlas.
Excitet extinctas Phœnix è funere pompas,
Et celebret pennis secula victa nouis.
Solus hic exuuijs, Domino quia concolor, albis
Fecerat Alpinas erubuisse niues;
Nunc Aetnæ similis candentia terga pyropis
Seminat, & fido vindicat igne gelu.
Torquibus his religat lucem Lucina renatam,
Detinet & profugos hoc Adamante dies.
Discite iam Stirpis, Vates, Insignia vestra,
Ostentare nota nobiliore genus.
Lactea non ibi Crux, non Ense cruentus Orion,
Non Aries aureo Vellere pectus habent.
Aurea Stella iterum præsignat Equestria vobis
Pectora, & Excelsa Stemmata clara Domus.
Hac dedit exoriens Clementia Principis, atque hæc
Diuidit Astrææ lucida Signa manu;
Scilicet hac, geminas qua sumpsit ab Aethere Claues,
Impressa æterna est Aurea Bulla nota.
Ista triumphales Chlamydes decorabat, & ista
Ingenuum Puerûm pectus, & ista Virûm:
At nunc Magnanimi Indulgentia Præsulis ista
Obligat emeritos in Statione Duces.
Non tamen hanc Seruus, non hanc Libertus habebat;
Libera nam Vatum colla coronat Honor.
Quod si Oculo similis, vel Cordis imagine pendens
Pestibus, ac magicis obstitit illa malis.

Quæ vis, quæ virtus fugit hoc è lumine, cuius
Bulla *vel in Furias Gorgonis instar erit?*
Vel Charites socias, vel Parcas reddit amicas,
Visaque Fortunam, atque Inuidiam exoculat.
Noscite, Progenies Cœlo si pendet ab alto;
Quæ nisi cœlestis Libra rependet opem?
Sed maiora manent; Emblema *renascitur illud,*
Sola nouam monstrant Regibus Astra viam.
Monstrat Stella suam; nisi quod calcaria subdit
Aurea ad Eoas, Occiduasque plagas.
Quidni; si Stimulos *quæ Stella figurat* Equestres,
Hæc quoque sunt Sacræ splendida dona manus?
Vna sed hæc erit Occasum prope Solis, *&* *Ortum*
Lucifer ad Cunas, *Hesperus ad* Tumulum:
Vnica, si Cycni est, Cunis *abstergere fletus*
Nouerit, ac Tumulo *signa cruenta suo:*
Nænia seu dulci stillet solatia cantu,
Seu doleat tristi funera dira sono.
Sed prius ad REGES, Aries *vbi corda* Leonis
Fœderat, & Gallo Sancta Columba *latus,*
Aduolet; ac niueas pandens amplexibus alas
Attrahat ad sacros oscula nexa pedes.
Tunc Cycni, vt discors exarmet fulmina Cœlum,
Pro Lauro, pro Olea, pro Iride Sidus erit.
An non, si refouens alijs præcordia flammis,
Pacem, quam Pomo sustulit, Igne feret?
Tunc quoque ad Eridani ripas, Simoentis ad vndas
Cum Latio Græcus carmina fundet Olor.
At Noua Stella Iacob *si Regibus orta refulsit,*
Sideris hæc eadem lux, IACOBE, *tua est.*
O Tu, Sortis adhuc Pars sola superstes in Vrna,
Dimidiumque Animæ parturientis opus!

Quem

Quem desiderio æquum Sidere deperit, & quem
Pectore dum Stellis viritim ardet Olorum,
Debuit assiduis quem Roma lacessere votis,
Exiguæque reum constituisse moræ.
Seu Tu, Magne Nepos, *validum comitatus* Atlantem
Impositis properas Orbibus esse parem.
Seu Biuio insistens Virtutis in ardua tendis,
Temnis & impauido dulcia Monstra pede.
Belgico & obuertens victricia terga Leoni,
Sugis ab Herculeo Sidere pene rogum.
Exorere, & Naui Geminum ne diuide Sidus;
Sed redime alternas nocte, dieque vices.
Te Vaticani, & Capitolj in vertice clarum
Iam vocat Herculeo *Purpura prompta* Cane;
Prompta sed ætherio; Astrææ nam Sirius Ostrum
Solus ab astrifera soluere Lance *potest.*
Forte licet Forti data sit, non forte merenti,
Ne rubeat, Forti Purpura danda Viro.
Debita Virtuti merces, non vile laborum
Hoc pretium, emeritæ laurea digna comæ.
Iudicis hoc Pomum Capitis, vigilata cerebro
Hæc Olea, hæc spuma, sed salis, orta Venus.
Maturi flos ingenij, lac mentis adultæ;
Nobilis in vultu fucus, in ore pudor.
Sanguine ab Heroum, Superûmque è Nectare fusa,
Non pede, sed Diuo vertice nata Rosa.
Fascia canitiem redimit, Prætexta senectam
Ornat, & Occasus culmina tingit Eos.
Et tamen Hesperios, & Eoos nacta rubores,
Annos ista tuos esurit, ista sitit.
Nam quia Meridiem *sua non præponderat Ætas;*
Te prope nec pendet Libra, *nec* Vmbra *cadit.*

Carpe vias, glomerata ſpei compendia noſtræ;
Rumpe moras, noſtris prauia fila bonis.
Non Ariadnæas opus eſt ambire Coronas.
Si tibi par Oſtrum Regibus Aſtra parant.
Pignus habes; ſeruat qui Cygni in pectore *Sidus,*
Purpureum ſeruat pectore *ſæpe iubar.*
Nec tibi Cæſariem Berenices Sidera texunt;
Fortunæ crinem IVLIA Stella *tenet.*
Te rapit huc cupidus vitali Sidere Cycnus,
Te cupit hic rapidis ſiſtere Tybris aquis.
Eridani monet ille ſui Te ſpernere fluctus;
Te mouet hic Currus ſumere fræna ſui.
Non timet ille ſuæ Te Auriga incendia Rhedæ,
Te Duce naufragium non timet iſte Ratis.
Noſtra tua poterit face fertilis Hydra *renaſci,*
Orbis & è Septem Collibus eſſe Caput.
Sic Romam redeas Iouis Internuntius *Ales,*
Vt redeas Pallas *vertice nata Iouis.*
Deſinat ergo nouis Tybris obcalleſcere monſtris,
Ponat & attonitum Roma ſupercilium.
Quod modò Pontificis *prænuncia* Sidus Olorum
Teſſera *Vaticino carmine dicta loqui:*
Quodque vbi Vaticana *ſuum* Conclauia IVLVM
Excepere, cauo Fornice Cycnus *erat.*
Non ea ludentis fuerat victoria Phœbi,
Alea non Caſus; Sortis in Orbe iocus.
Ille erat, ille, ſua qui Voce *rependere grates*
Nouit, & Effigie *ſe poſuiſſe vices.*
Relligioſus Olor *tot iam labentibus annis*
Sidus *multiplici fœnore perſoluit.*
Carmine, *ſed ſero, tarda* Teſtudine *cepit*
Vel piguiſſe grauis, vel puduiſſe moræ.

Pænituiſſe

Pœnituisse puto; ac Triplicis Diadematis Orbes
  Cunctando vno pro Sidere restituit.
Restituit; Chisijs rutilantia Montibus Ambo
  Sidera cum Nauim destituere suam.
O Superum, o vigilis miracula prouida Cœli,
  Sidus Sideribus substituisse nouum!
O felicem Argon, cui rapto Castore Cycnus
  Pollucem potuit supposuisse suum.
Quantum Solis habet, qui dum bis nascitur Orbi,
  Mortua subsequitur Sidera, & orta prait.
En tua, Roma, vides Spectacula nata sub Æstu,
  Dispare cum fœtu Collis abortit Apex.
Virgini vt Augustus texat cunabula Mensis,
  Fascia net Niuibus candida fila suis.
Quas prius in Tauro seuit Præsepe pruinas,
  Has prope dente Leo demetit, ore Canis.
Vtque fidem rabido modò seruet amica vel Hosti,
  Coniurata nouo fœdere seruit Hyems.
Alba licet, sterilisque Igni desponsa marito,
  Parturit æstiuo pignora cana sinu:
Miraturque Niues, & non sua Frigora ferre
  Lactea sanguineis Lilia mixta Rosis.
Nempe hæc sola potest Miracula gignere Virgo,
  Nixa Hominem gremio cælibe, nixa Deum.
Candida cui famulum cum Cynthia subderet Orbem.
  Inuidit niueos, & sine labe pedes.
O quam parua refert noster discrimina Cycnus,
  Iam docilis niueo Sidera ferre sinu!
Non soluit noua Flamma Niuem, Nix integra Flammam,
  Seruat & illa suam, seruat & ista fidem.
Neutra fidem extinguit, soluit sua fœdera neutra,
  Vtraque in amplexus, vtraque in ora ruit.

Oscu-

Oscula sunt Pacis, quæ reddit Candor, & Ignis,
Mutua quæ purus vincula nectit Amor.
Virginis hunc Cycnum, genitumque in Virgine Sidus
Quis neget, & magnæ Maxima Signa manus?
Si pia Virgineam *tenet illic dextera* Spicam,
Quid facit hac lacero pectore Stella minus?
En qua tota prius via Lactea, candida Nutrix,
Nunc via Triticeo *est vbere tota* Ceres.
Aucta Ceres, *modò rapia auidi Plutonis ab vngue*
Quam citò Tartareo prompsit ab igne caput!
Quam citò pulsa penu Penuria, *dissita campis*
Plusquam Cadmæo semine victa Fames
Falciferi fugere Senis sine murmure dentes,
Faucibus & Natos eripuere suos?
Nutrijt Annona *æternum sibi Numen, in Orbis*
Ore Famis subijt reddita Fama vices.
Quid cum ferro, auro Capitolia *celsa* Camilli
Asseret è Senonum faucibus vna manus?
CLEMENTIS *tunc fixa sequens vestigia, nonne*
E proprio Panes Stemmate *larga feret?*
Hæc feret, ac Diua renouans Miracula dextræ
E Quatuor *messem colliget innumeram;*
Discet & Anseribus *quæ tantum debuit, vni*
Debeat ò quantum libera Roma Cycno.
At vos arripite augurium felicius, ò quos
E Cycnis Cynicos efficit ægra fames.
Iam Petrus *è* Piscis *non exigitore tributum;*
Nobile sed Volucri *soluere pignus auet.*
Sidereum Cycno qui cuderat ante Numisma,
Plurima mox alijs Aurea nonne dabit?
Credite, erant Genij pretiosa pericula, vel tunc
Fundere munifica prodiga dona manu.

Quod

Qui dedit exoriens Luci ſua præmia, nullam
Amiſſam poterit condoluiſſe Diem.
Credite, namque ſuo tegat vt ſub Numine Muſas,
Nonus *hic audiri Nomine Phœbus amat.*
Sic Cycnus, Stellatus Atlas, Oculatus & Argus,
Fulcitur, fulget, nititur, atque nitet.
Mitis Auis, *nec digna minus, quam Nomine* Clemens
Sidere adoptaret Mitior ipſe ſuo.
Si vigil aſſeruit Capitolia *vocibus* Anſer,
Pelleret vt Gallos, argueretque Canes;
Iam Vaticano vigilans in culmine veſtras
Inſomni excubias lumine Cycnus agit.
Hìc Lyra *non queritur ſub* pectore Vulturis *ictus,*
Ac Tityi inſontem noxia damna pati:
Organa ſed cantus auris vitalibus ignis
Ventilat, irriguis ignibus aura fouet.
Quidni, ſi ſuperans Amphiona, Ariona, & Orpheum
Nunc Olor ipſe Lyræ *proximus Aſtra rapit?*
Proximus aligero quoque Pegaſo, *vt ætheris hoſpes*
Potet ab ætherio nunc quoque flumen Equo;
Stat prope Delphinus, *quod Olorem portitor olim*
Lesbium *ab Ionijs èripuiſſet aquis.*
Sic vbi Delphinus, Lyra, Pegaſus Aſtra tuentur,
Gaudet Parnaſſo Cycnus adeſſe nouo.
Cymbala non feriunt diuulſa Vulture *pennæ,*
Sauciat & Cytharæ viſcera Coruus *edax:*
Sed tam concordes Concordia temperat alas,
Vt Cordis *fidibus conſonet vna fides.*
Si ſua cum Phaeton incendia ſparſit in Orbem,
Extinxitque ſuos naufragus amne dies;
Poſthumus inter aquas, Phœnicis & æmulus ignes
Alato emerſit remige Cycnus *Auis.*

Sidere

Sidere hic extinguet rediuiua incendia in vno,
Ducet & in portum naufraga vela suum.
Si Ligur ille fuit; gemino nouus Orbe Columbus
Ipse Olor, ipse Helice nauigat, ipse Tiphys.
Et quia iam Quatuor præfert in Stemmate Partes,
His quoque Stelliferam figet in axe Crucem.
At quæ mira tuor, mihi quæ Taumantias Iris
Insolitum varia miscuit arte Chaos?
Vnde hæc Tempestas tam clara repente coruscat?
Quis nouus in terras detulit Ignis Aquas?
Iam video in Vallem medium discedere Cœlum,
Iam video in Cœli surgere culmen humum.
Palantem campis Stellam; sequor omina tanta;
Quisquis ad Astra vocas; quis iubet ire? sequor.
Quònam? quà nitidum Pistoria germina Flumen
Irrigat; at quonam Nomine? Stella, sat est.
Fluctibus, an Radijs, Telluris, an Ætheris arua,
Flores amne alit, an Sidera luce beat?
Quid lux nutat adhuc, quid adhuc vox fluctuat? eia
Dicite, Stella Solum circuit, anne polum?
Fas erat, vt Stellam si Cycno Sidus Olorum
Nutrijt, huic Nutrix Patria Stella foret:
Sidus vt emergens Stellato è Flumine Cycnos
Mergeret Eridano splendidiore suos.
Quid non lucis habet, non lactis Sidus Olorum,
Si Stellam, Cycnos quà rigat, inde bibit?
Nemo sed obstupeat, quod Stellæ allabitur Vmbro;
Semper enim magni Sideris Vmbra comes:
Non nisi post Solis radios, Lunæque nitores
Phosphoros insequitur mobilis Vmbra facem.
Vmbram habet hæc quoque Stella suam, qua splendeat, & qua
Ipse faces Cycnus pingeret, ipse niues.

Sic

Sic quos Vmbro Nigros,*quos* Stellà *accendit* & Albos
Ciuis Olor lustrat Sidere, lacte lauat.
Cernite; vt vber alat vos, sese expectorat; & *Cor,*
Vt vos suscitet, euiscerat ales Amor:
Diuino *similis, cuius sub* pectore Vulnus
Sanguineis Cœco *lumina fudit* Aquis.
Pro pietas! Hosti pro vulnere reddere lumen,
Et pro Sole Orbi restituisse duos.
Nonne ea CLEMENTIS *præludia prouida nostro?*
Hic nisi quod lucem reddidit exoriens.
Tunc niuea in tabula, nec penna inglorius alba
Semet Apelleis pinxit Apollo modis.
Grande rudimentum Solis, se Sideris vmbra
Exprimere, extremam nec posuisse manum.
Quid foret edocuit, cum non albesceret inter
Lilia, nec Latijs tingeret ora Rosis:
Sed cum supremo irradians fastigia curru,
Aurifluo Cycnos diluuio obrueret.
Obrueret, non Eridano *nisi cælite, vel quà*
Tempestate Tagus diuite mergit agros.
Roma quid inuideat Saturnia tempora, in Orbem
Aurea cum retulit Secula Virgo redux:
Pectore & Augustus *rapiens Magneticus* Vrsam
Quot Maculas *totidem redderet* Astra notis?
Cæsareas Aquilas inter tunc Sidus Olorum
Vel Næuis Helice, *vel* Cynosura *fuit.*
Iulius Augustum *superat; ne* SidusOlorum
Occidat, in Cycni pectore Sidus alit.
Ne miseros lateat, sibi stigmate pectus inurit;
Et face, ne nudus decoquat; ardet Amor.
Vt Piscatoris *nos attrahat* Annulus, *hamos*
Instruit auriferis ditior esca dolis.

Altera

Altera Casſiopes *modò* Stella *inſederat artus;*
Sed citò ſeſe humeros exonerauit onus.
Quod leue Fœmineum genus eſt, euanuit Echo;
Auro nec potuit ſiſti Atalanta ſuo.
Luce prius Phœnix, arſit mox Igne Pyrauſta;
Et ſimul ac cœpit viuere, nata mori.
Vix Phœbum *bibit ore ſuum, cum viſa repente*
Hæc Clytie *celerem præcipitaſſe fugam.*
Nulla manet tanti fuligo Sideris, ignis
Nulla cinis, lucis nulla vel vmbra, nihil.
Sola ſuum ſortita diem Fax *aurea* IVLI
Cum Cycno, Seclo, Principe *viuit adhuc.*
Icarus, aut Phaeton non hac, ſed Dædalus ardens
Ima fugit, ſed Sol aliger alta petit,
Hactenus illa eadem veſtigia adorat; & illud
Curſor inextincta lampade luſtrat iter.
Vtque eat, ac redeat tutus Nauarchus, *& æquor,*
Luna *quod attollit* Thracia, *claſſe premat;*
Nec vaga ſollicitus ſcrutabitur Aſtra Leander,
Ero *nec dubiam condet in axe* pharum.
Stat Conſanguineus, *ſtat* Collactaneus *Ignis,*
Siue Coæuus *adhuc, ſiue* Gemellus *eat*
Stat Cycno fatum, Gemina *ſe* Prole *ſuperbum,*
Bina *dediſſe ſolo* Sidera, *bina polo.*
Stat; niſi quod volitans cum Sidere, Principe, Seclo
Scit ſibi Tergeminum *conciliaſſe decus.*
Nec ſatis; in terris vt cuncta iuuaret; *in ipſum*
Iam Cycnus *voluit degeneraſſe* Iouem.
Nec parit Auguſto, *ſed* IVLO *Principe; vitam*
Sidere, & Alituum Cantibus orta Salus.
O mihi nata Salus; *ſalus ſperare ſalutem*
Anchora non niſi Te ſoſpite noſtra valet.

Naufra-

29

Naufraga CLEMENTI *si præbuit* Anchora *Templum;*
An mihi non Aram præbeat illa tuam?
Aequora non metuam, non Sidera, Sidere *postquam*
Reddidit Alcyonis Cycnus ab axe dies.
Non Pontis *lapsum, non Tybris* Horatius *vndas,*
Est vbi Pontificis *dextera pro Tabula.*
Desinet esse Cocles, Cyclops *& desinet esse,*
Quem vigil Vnoculum pectore *reddet Olor.*
Nec claudo, fractoque *cadet Victoria* gressu;
Si mihi tu baculum porrigis, atque manum.
Crine tuos Fortuna pedes vbi lambere cepit;
Tunc Rota fracta vetus, tunc Rota facta noua est.
Ludere non timeam ludibria Sortis; abegit
Cum noua iacturas Alea iacta meas.
Perdet nulla meos Infausta Canicula *Talos;*
Iactus vbi fausto Sidere Cycnus *erit.*
Ipse Tibi, vt viuam, mactare silentia discam;
Ipse animam accipere, ac reddere, ne moriar.
Nam mihi si Fatum, *mihi Tu* Fortuna, Deusque;
Mors *quoque sub* Vita, *quæ parit* Astra, *perit.*
Et quia Tu Secli, *Tu Sideris ortus in ortu;*
Tecum Phœnicis Secula viuat Olor.



AL VATICINIO STESSO
Et alla STELLA nell' Anno Natalizio
DEL PAPA, E DEL SECOLO
Nata nel Petto del Cigno.

SONETTO



Ra l'Anno immortale, in cui su'l Mondo,
GIVLIO, nascesti à partorir la Luce;
Quando di noua Stella vscì fecondo
Il Genitor di Castore, e Polluce.

Egl' al' Argo celeste in suon giocondo
Predisse alhor per Cinosura, e Duce,
Quel CLEMENTE Nocchier, Tifi Secondo,
Che la Stella de' Cigni in Ciel produce.

Hor s' Astro sei de' Cigni, e'l Cigno abbaglia
L' Astro, che Tù gli dai fin da la culla;
Qual Saturno, ò qual Marte in me più vaglia?

O non potrà quel Sol, che stimò nulla
Improntarmi la Man d' Aurea Medaglia,
Di Piombo al Petto mio segnar la Bulla?



Alla

Alla Noua PORPORA

DELL' EMINENTISS. SIG. CARDINALE

GIACOMO ROSPIGLIOSI

Sù quelle Parole dell' Elegia

FORTI NON FORTE.

SONETTO.



VEdi, ò Signor, ch'al Domator de' Moſtri,
Al Portator de'Mondi, al Grande Alcide
Del Veltro in bocca, e dela Conca arride,
Ben ch'Aurora del Mar, l'Alba degl'Oſtri,
S' al Belgico Leon l' Ercol ti moſtri
De' Cerberi crudel, del' Idre infide ;
Giuſt' è che 'l Peſcator, che in Campo il vide,
Su 'l Tebro al Vincitor lo Spoglio innoſtri.
Non diè che Lince il Caſo, Argo Fortuna
In Ciel le Poppe, in Mar le Faſce al Forte,
Ch' in tomba à gl'Angui ſuoi volſe la cuna.
T' offre il ſuo Cane Aſtrea, non già la Sorte,
Che quand' al piè le Porpore t'aduna,
Da' Cardini all' Vſcier t' apre le Porte.



